

C'EST LA TENEUR D'UNES LETTRES EN LATIN OBTENUES DE MESDIS
SEIGNEURS DE CAPPITRE CONTENANT LE POVOIR DE FAIRE
L'ÉAUWE BENOITE AUDIT HOSPITAL, DE DIRE MESSE ET DE PO-
VOIR CONFESSER EN ICELUX.

Universis presentes litteras inspecturis Dyonisius, De-
canus et Capitulum ecclesiæ Tornacensis salutem in Do-
mino. Notum facimus quod ad nostram devenit noticiam
quod confratres hospitalis sancti Jacobi siti infra methas
parochiæ sanctæ Catherinæ tornacensis, seu ejusdem hos-
pitalis ministri et gubernatoris jamdiù in capellâ ejusdem
hospitalis missas per presbyteros alienos ad in nostro pa-
tronatu celebrandum minime admissos celebrari et aquam
benedictam fieri (ipsi quoque inibi nonnunquam confes-
siones audire presumebant), sine nostris et curati paroi-
chialis ejusdem parochiæ licentiâ et auctoritate fecerant
et faciebant, in nostræ jurisdictionis ac dicti curati pre-
judicium, contemptum et gravamen. Nos eisdem minist-
tris et gubernatoribus intimari fecimus quatenus die
hodiernâ subscriptâ coram nobis in nostro capitulo com-
parerent cum litteris et documentis quorum vigore hu-
jusmodi missas celebrari et aquam benedictam ceteraque
premissa fieri in dictâ ipsius capellâ fecerant et faciebant.
Quâ quidem die hodiernâ subscriptâ comparentibus per-
sonaliter et constitutis coram nobis in dicto nostro loco
capitulari, promotore causarum officii nostri ex unâ,
ac Johanne Prays et pluribus aliis ejusdem hospitalis
ministris et provisoribus ex alterâ partibus, prefatus pro-
motor noster, contra eosdem provisos et ministros, præ-
missa omnia proponens ac ea eisdem imponens, conclu-
dendo petiit ipsis ministris et provisoribus atque presby-
teris, sub penis magnis, inhiberi ne de cetero sic missas
in eodem hospitali celebrari et aquam benedictam fieri
confessiones quoque audire, sine nostris licentiâ et aucto-
ritate facerent, quoque eò quod hujusmodi missas sic ce-
lebrari et aquam benedictam fieri ac confessiones audire
fecerant, in legales emendas ad opus fabricæ dictæ nostræ
ecclesiæ, et in expensum ob his factis condempnarentur.
Præfati vero ministri et provisos premissis articulis sibi
impositis respondentes dixerunt remonstrantes et con-
fessi fuerunt quod dictos presbyteros in confessionum
auditione nullatenus *adhibebant*, quoque pluribus annis
elapsis litteras apostolicas super aliis præmissis sanctâ
sede apostolicâ obtinuerant et eas nobis presentaverant,
quibus per Nos visis, eisdem provisoribus et ministris li-
centiam hujusmodi missas celebrari et aquam benedictam
fieri faciendi concesserimus; sed casu fortuito areto tem-

pore nostras hujusmodi litteras perdidit, unde de percos allegatis notis fidem facere minime poterant; non credentes per hoc in aliquo deliquisse nec aliquid in prejudicium dictæ nostræ jurisdictionis, facere voluisse, neque velle, unde supplicarunt in hâc parte secum mitè agi et licentiam hujusmodi missas in capellâ dicti hospitalis, more consueto, celebrari et aquam benedictam fieri faciendi per Nos concedi. Quibus omnibus premissis per Nos diligenter attentis et habitâ inter Nos super eisdem maturâ deliberatione, nos certis ex causis ad hoc moventibus omnia et singula per eosdem ministros et provisores in hâc parte fore facta, ipsis gratiose remisimus et remitimus, et ulterius ipsis id ut premitteretur humiliter ex gratiâ petentibus gratiam et auctoritatem missas in dicti ipsius hospitalis capellâ de licentiâ et auctoritate nostris dudum erectâ et constructâ per presbyterum seu presbyteros ad hoc à nobis admissum seu admissos submissâ notâ celebrari et dominicis diebus aquam benedictam fieri faciendi hinc ad decennium proximo futurum et non ultrâ concessimus et concedimus.

Proviso quod hoc curato dictæ paroichiæ prejudicium sive dampnum quoquomodo non afferat sive faciat seu officium divinum ecclesiæ paroichialis ipsius paroichiæ non impediât, confessionum ibidem auditione eidem presbytero seu presbyteris penitus interdictâ. In cujus rei testimonium, sigillum ad causas dictæ nostræ ecclesiæ presentibus litteris duximus apponendum. Datum in Capitulo nostro anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo mensis martii die primâ. Sic signatum per Capitulum.

D. BRASSART.

Les dis escrips sont en le laye où sont les bulles.